

Christo essent illo priori modo debitæ ratione unionis, nihilominus habuit locum in eis meritum, ut fierent debitæ etiam ex justitia.

21. *Respondetur objectioni.*—Dices, hac ratione, ad summum probari, non repugnasse, ut hæ gratiæ caderent sub meritum Christi, non obstante priori debito, non vero quod de factis illas meruerit; unde cum hoc alias nulla sufficiente auctoritate aut ratione constet, non est cur sine necessitate asseratur. Præsertim cum non videatur verisimile, Christum ordinasse sua merita ad obtinenda hæc auxilia, quæ certo sciebat sibi esse parata et donata cum ipsa unione. Respondetur utrumque concludi sufficienter ex discursu facto: probatur enim illa ratione, potuisse Christum Dominum hæc dona mereri, servatis omnibus legibus necessariis ad meritum, tam ex natura rei quam secundum ordinariam Dei providentiam, quia hæ gratiæ sunt ex his bonis quæ proposita sunt hominibus viatoribus in præmium honorum operum, et Christus viator fuit, et meritum ejus valorem habuit sufficientissimum, et antecessit collationem harum gratiarum. Huic autem principio adjungimus, Christum Dominum meritum fuisse, tam sibi quam aliis, quidquid sine dispensatione mereri potuit; quia, cum hoc sit majoris perfectionis, et in Christi operibus et dignitate habeat sufficientissimum fundamentum, non est cur ipsi denegetur. Accedit quod Deus in omni genere causarum et effectuum operatur per causas secundas quidquid commode potest; ergo in genere causæ meritoriae operabitur per Christum, præsertim in ipso met Christo, ejusque humanitate, quidquid connaturaliter potest. Neque necesse est ut omnia in particulari sint revelata, sed satis est quod in principiis generalibus contineantur; alioqui multa alia essent a Christo jure excludenda, ut quod promeritus sit capitis dignitatem, vim miraculorum effectricem, et alia, de quibus sect. seq. dicemus. Sicut de puris hominibus non sunt in particulari revelata omnia quæ mereantur, et tamen ex principiis generalibus, et ex quibusdam particularibus alia colligimus, ut quod bene utendo uno auxilio, mereantur aliud, etc. Quod denique attinet ad ordinationem meritum Christi, ut fiebat per voluntatem ejus humanam, imprimis ad merendum aliquid, non est necesse ut is, qui meretur, ex propria intentione ordinet suum meritum ad obtinendum tale præmium, ut in nobis etiam constat; sed sufficit divina ordinatio et promissio sub con-

ditione operis. Ac deinde, licet in particulari non fiat hæc relatio, tamen in generali nullus est qui vel formaliter vel virtute non habeat intentionem consequendi vel merendi suis operibus quidquid potest, juxta illorum valorem, et leges a Deo statutas. Tandem in Christo, qui omnia distincte agnoscebat, verisimilius est actu ordinasse sua merita ad obtinenda omnia præmia quæ sub meritum suum cadere poterant juxta divinam ordinationem; in hoc enim nullum est inconveniens, nec imperfectio, sed potius major perfectio, quia cum hac ordinatione habebat Christus optimos fines et motiva in suis operibus et meritis exercendis, et hanc ipsam ordinationem suorum meritorum ad majorem Dei gloriam tandem ultimate referebat.

22. *Utimus evadendi modus occluditur.*—Sed dicet tandem aliquis: ergo meritum est sibi Christus Dominus impeccabilitatem animæ suæ, quia meruit illam divinæ providentiæ directionem, qua suæ animæ collatum est, ut a bono declinare non posset; consequens videtur esse absurdum, quia Christus non suis meritis factus est impeccabilis, sed natura sua ita id habuit ut, secluso omni merito, illi denegari non potuerit, etiam de potentia absoluta. Respondetur negando sequelam, quia ante omne meritum fuit impeccabilis, sicut fuit sanctus per gratiam unionis; unde hoc non est ex donis quæ subsequuntur, sed ex his quæ antecedunt primum actum meritorium. Quod confirmatur, nam esse impeccabilem non dicit actum tantum, sed intrinsicum debitum et necessitatem carenti omni culpa; hanc autem necessitatem non habuit Christus per meritum, sed immediate ex vi unionis, et ideo non meritum est esse impeccabilis, etsi mereri potuerit particulare auxilium, quo voluntas ejus ad aliquod bonum operandum excitata vel adjuta est. Necessitas enim non peccandi tantum est necessitas quoad specificationem, et abstrahit ab hoc vel illo modo, quo potest executioni mandari; et ideo, licet hoc vel illud auxilium cadat sub meritum, non tamen ipsa necessitas non peccandi. Eo vel maxime quod per visionem beatam facta est proxime illa anima impeccabilis, licet radicaliter jam esset impeccabilis per unionem, et tamen nec unio, nec visio beata, sub Christi meritum ceciderunt, ut in superioribus ostensum est.

23. *Dubiola aliquot emodantur.*—Ex his expeditur quæstio, an Christus meritum fuerit habitus scientiarum, et virtutum moralium

suo genere acquisitarum; item concursus et auxilium ad omnes actus habituum recte et frequenter exercendos; item ministrationem specierum intelligibilium accommodatam ad plenitudinem scientiæ vel experienciæ obtinendam absque defectu vel errore, et similia. Dicendum est enim imprimis non meruisse sibi Christum dietos habitus, quia illos habuit per accidens infusos a principio simul cum gratia, et in eodem signo, atque adeo prius ordine naturæ quam actum meritorium exerceret; quia prius intelligitur perfecte constitutus in actu primo ad actus omnes exercendos, quam in actum aliquem secundum exierit. Tenendo autem, hos habitus discursu temporis fuisse comparatos, ex alio principio dici potest non cecidisse sub meritum, quia, scilicet, sunt naturalia bona, et in causis naturalibus sufficienter contenta, imo ex illis necessitate quadam obtinenda; hujusmodi autem bona non sunt ordinata a Deo, per se loquendo, ut per meritum habeantur, sed solum ea quæ supernaturalia sunt, quod in Christo Domino intelligendum est modo statim declarando. Deinde, de ministratione specierum vel phantasmatum concursu, et aliis supra tactis, quando mere naturaliter fiebant per solas causas naturales suo naturali cursu operantes, nullum erat necessarium meritum, ob rationem dictam. Quando autem intercedebat singularis providentia, vel actio Dei, sive immediate, sive mediantibus Angelis, singulari et extraordinario modo Christo obsequentibus, multum verisimile est totum id fuisse Christo retributum, non solum propter personæ dignitatem, sed etiam propter sua merita. Nam in hujusmodi bonis locum habent omnes rationes factæ, et omnes leges et conditiones meriti; et illa bona, licet in substantia naturalia sint, in modo tamen sunt supernaturalia, et ad supernaturalem finem ordinata erant, nimirum ad unionem hypostaticam tanquam debitum ornamentum ejus, et ut Christus convenienter posset sua munera exercere, præsertim munus redemptoris et doctoris hominum, et supremi iudicis, ac perfectissimi exemplaris virtutum omnium.

SECTIO III.

Utrum Christus meruerit gloriam sui corporis, sui que nominis exaltationem.

1. Calvinus, ut supra retuli, negat Christum aliquid sibi meruisse, cujus sophisticum fun-

damentum supra indicavimus et dissolvimus; ex Scholasticis vero Guilielmus de Rubion, in 3, d. 18, non negat simpliciter hoc Christi meritum; dicit tamen esse rem dubiam et incertam, et ideo non esse simpliciter affirmandum, quia neque ex Scriptura colligitur, neque ex certa aliqua ratione; quia cum Christus sit dominus omnium, non indigni merito, ut perfectionem quamcunque, seu dignitatem obtineret. Scotus vero, eadem distinct. 18, dicit, indirecte meruisse Christum gloriam corporis, quia meruit ut removeretur impedimentum talis gloriæ; directe autem non meruisse illam, quia ablato impedimento habebat intrinsicum principium, ex quo illa manaret. Et ad hunc modum videtur loqui Cyril., lib. 3 Thesaur., cap. 3.

2. Dico tamen primo, Christum Dominum meruisse gloriam corporis sui, neque hoc posse sine temeritate negari. Ita enim docent Theologi omnes cum D. Thoma hic, et Magistro, in 3, d. 18, et habet magnum in Scripturis fundamentum. Lucæ enim 24 dicit ipse Christus: *Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* satis aperte significans, per passionem parasse sibi viam ad gloriam, atque adeo illam sibi meruisse; quod magis explicuit Paul., ad Philip. 2, dicens: *Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Ubi particula illa *propter*, si juxta vim et proprietatem suam, ut debet, explicetur, non tantum consecutionem unius post aliud, ut hæretici exponunt, sed etiam unum fuisse causam alterius significat; nulla autem alia ratio causæ hic intercedere potest, nisi meritoria; et ideo ad Hebr. 2 dicit idem Paulus: *Vidimus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum*, ubi nomen coronæ satis indicat victoriam et præmium. Unde Basil., lib. 4 contra Eunom., sub titulo *Quod Filius creatura non sit*, dicit, propter obedientiam datum esse Christo in humanitate nomen super omne nomen. Idem dicit Augustinus, lib. 2 contra Maximi., c. 5, et lib. 3, c. 2; Chrys., Ambr., Anselm., Beda, et alii explicantes citata loca Pauli; et late Vigil., lib. 5 contra Eutych.; Hugo Victor., lib. 2 de Sacrament., p. 2, c. 6. Ratio vero est, quia hic habuerunt locum omnes conditiones necessariæ ad meritum, et, cæteris paribus, perfectius est habere aliquid ex merito, quam sine illo, ut recte D. Thomas hic argumentatur. Neque huic merito obstat, ut supra dicebamus, quod aliis titulis et nominibus esse

hæc gloria debita humanitati Christi, quia potuit illis adjungi ratio meriti, et hoc perfectius est.

3. Distinctio vero illa Scoti vix potest intelligi, quia in corpore Christi non fuit aliud impedimentum gloriæ, nisi vel naturalis conditio corporis passibilis, quæ ex divina dispensatione cum gloria animæ conjuncta fuit; vel ipsa divina dispositio, qua statuit non influere gloriam in tali corpore usque ad resurrectionem. Primum non potest dici proprie impedimentum, cum sit ipsa naturalis conditio, quæ per gloriam perficienda erat; et quamvis ita vocetur, auferri tamen non poterat nisi per ipsam gloriam corporis; mereri ergo ut tale impedimentum auferatur, nihil aliud est quam mereri ipsam gloriam corporis; et idem est si dicamus, meruisse ut auferretur impedimentum ex parte divinæ ordinationis, quia hoc ipsum est mereri ut Deus influat gloriam hoc tempore, quam antea non influebat. Et quanquam modum loquendi admitteremus, potius dicendum esset meruisse Christum directe gloriam corporis, et consequenter ut auferretur impedimentum; sicut qui redimit captivum, directe meretur libertatem ejus, et consequenter ut vincula vel impedimenta removeantur. Nec denique huic merito obstat connexio, quæ est inter gloriam animæ et corporis, ex qua fieri videtur ut nemo possit alteram sine altera mereri; hoc enim ad summum procedit in eo qui utraque caret; cum enim corpus non possit esse gloriosum nisi per animam (saltem de potentia ordinaria), non potest quis mereri gloriam corporis nisi vel gloriam animæ habeat, vel illam mereatur; et hoc modo merentur omnes puri viatores; quia enim merentur per actus animæ informantis corpus, ideo merentur gloriam animæ, quæ redundat in corpus. At vero, supposita gloria animæ separata a gloria corporis, nihil est cur non possit ipsa gloria corporis directe sub meritum cadere: præsertim cum non omnino physice sequatur ex gloria animæ, sed secundum Dei determinationem, qui voluit ut gloria animæ communicaretur corpori, potuit tamen velle ut hoc ipsum per merita mandaretur executioni.

4. *Ab instanti mortis anima Christi fuit impassibilis, meritis ejusdem Christi.* — Et ex hac conclusione sequitur primo, meruisse Christum impassibilitatem animæ suæ, quam ab instanti mortis consecuta est; quanquam enim Magister, in 3, d. 18, in dubium revo-

cet, an ab instanti mortis illa anima fuerit perfecte impassibilis, vel tantum a resurrectionis puncto, mihi tamen omnino verum et certum videtur statim fuisse impassibilem, ut Palud. ibi notavit, q. 2, a. 3, et dicemus latius infra, agentes de morte Christi, quia anima Christi Domini, statim ac fuit separata a corpore passibili, fuit simpliciter et omni ex parte beata, quantum esse potest anima separata a corpore. Hoc enim commune est omnibus animabus justis, quæ nulla indigent purgatione, post ipsius Christi mortem; cur ergo negabitur hæc perfectio ipsi animæ Christi? præsertim cum ipse promiserit latroni: *Hodie mecum eris in paradiso*, ex qua promissione Patres omnes intelligunt, statim illo die animam latronis fuisse post Christi mortem in statu beatifico et impassibili; ergo a fortiori idem sentiendum est de anima Christi. Quod tandem confirmatur, quia cum jam consummasset nostram redemptionem, non indigebat statu viatoris; ergo statim cepit omnino esse in termino, et extra statum viæ, atque adeo omnino impassibilis. Hanc ergo indolentiam seu impassibilitatem meruit Christus Dominus, sicut meruit gloriam corporis; illam enim merentur omnes isti, qui per sua merita gloriam consequuntur; et rationes supra factæ æque procedunt de hoc statu et de gloria corporis, et accommodari potest testimonium Isaiæ 53: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur*; illo enim loco Septuaginta interpretes legunt: *Et vult Dominus auferre de doloribus animam ejus*; quæ verba Hieronymus etiam juxta hanc lectionem de Christo exponit, sicut et Augustinus, lib. 1 de Consen. Evang., c. 31.

5. Propter quæ (ut obiter hoc notetur) non mihi placet quod Vega dicit lib. 7 in Trident., c. 18, animam Christi usque ad resurrectionem fuisse propter nos viatricem, non ad merendum, sed ad satisfaciendum: *Quia animæ, inquit, separate interdum esse possunt viatrices, quoad satisfactionem.* Hoc, inquam, non mihi placet, quia anima separata nullo modo est in statu viatoris, nisi sit aliquo modo in statu passibili, et careat visione beata quam est aliquando habitura, ut constat inductione in omnibus aliis; anima autem Christi post separationem a corpore non fuit in hoc statu passibilitatis; ergo neque in statu viæ; neque enim oportet fingere novum modum seu statum viæ in anima Christi absque ullo testimonio, vel ratione efficaci. Adde,

animam separatam nunquam esse in statu satisfaciendi, sed satisfaciendi tantum pœnam, quam in hac vita plene non persolvit; at vero anima Christi in hac vita plenissime solvit et consummavit redemptionem nostram, ut supra probatum est.

6. Secundo, infertur meruisse Christum resurrectionem suam, et omnes dotes corporis gloriosi, ut recte docet D. Thomas infra, q. 53, a. 4, ad 2, et eisdem rationibus et testimoniis supra allatis probari potest; quibus addi potest illud Psalm. 109: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*, quod in hunc sensum Augustinus exponit, sicut et illud Psalm. 40: *Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me.* Denique alii justi merentur resurrectionem suorum corporum; multo ergo magis Christus, quandoquidem potuit illam mereri; unde ad Rom. 8 dicitur, nos futuros esse hæredes, *si compatimur, ut et conglorificemur.*

7. *Objectio.* — *Prima responsio.* — Dices: ergo eadem ratione dicendum erit, meritum fuisse Christum augmentum corporis sui, et informationem seu unionem animæ suæ ad omnes partes materiæ quas per nutritionem acquirebat, sicut in superioribus diximus, meritum fuisse partialem unionem hypostaticam earundem partium materiæ. Consequens videtur absurdum, quia hæc erant mere naturalia, supposito statu corporis passibilis et infantilis. Respondetur primo non esse necessarium hoc concedere, quia non habet rationem similem. Nam, ut nuper dicebam, supernaturalia bona sunt, quæ in præmium meritorum proprie sunt proposita, et ideo non est simile de resurrectione corporis, quæ supernaturalis est, et de augmento naturali ejusdem corporis. Neque de unione partium materiæ ad animam, et ad Verbum, quia prior erat mere naturalis, et per concursum causarum naturalium fiebat; posterior vero erat supernaturalis. Secundo, dici potest meruisse Christum naturalia hæc bona, quatenus vel aliquo supernaturali modo fiebant, vel ex speciali aliqua Dei providentia procedebant, vel ad supernaturales fines erant necessaria, ut, verbi gratia, quod Ecclesia de Beatissima Virgine ait, *lactasse Christum ubere de celo pleno*, significat sane, etiam lac ipsum, quo Christus nutriebatur, fuisse singulari Spiritus Sancti providentia præparatum ac dispositum, prout tali corpori et ad tales effectus, quales ipse intendebat, erat expediens. Hæc ergo ratio providentiæ, omnisque alia similis, ac deni-

que quidquid Deus cum Christo post primum instans conceptionis ejus propter dignitatem personæ ejus specialiter operatus est, id totum propter meritum ipsius fieri potuit, et credendum est ita factum esse, propter rationes factas sectione præcedente, quas omitto, quia eadem proportione hic possunt accommodari. Quocirca conceptio ex virgine, sine viro, et opera Spiritus Sancti, prævio angelico ministerio ac nuntio, quæ tempore vel natura antecesserunt primum actum meritorium Christi ut in re ipsa exercitum, licet facta fuerint ob dignitatem personæ Verbi incarnandi, non tamen fortasse ob meritum Christi, quia nondum in re præcesserat; et licet præcesserit in prævisione Dei, tamen ordo ad meritum, re ipsa præexistens in eadem persona, est magis connaturalis, et non est necesse alium ordinem extraordinarium fingere sine fundamento aut necessitate. At vero natiuitas ex virgine, servata ejus integritate, Angelorum præconia et laudes, adoratio Magorum, et similia omnia, quæ Christi conceptionem subsequuta sunt, non tantum in ejus personali dignitate, sed etiam in ejus infinito merito fundamentum habuere, quia jam antecesserat, et nihil aliud desiderabatur. Ordinatio enim divina non creditur defuisse; cum hæc ratio providentiæ altior sit, ejusque justitiæ, misericordiæ, ac sapientiæ, Christi que dignitati magis consentanea. Tertio, evidentius sequitur ex dictis meruisse Christum triumphum ascensionis suæ, ut eisdem testimoniis et rationibus comprobari potest; indicatur ad Eph. 4: *Qui descendit, ipse est qui ascendit; quid est quod ascendit, nisi quia et descendit prius?* et Apoc. 3: *Ego vici, et sedeo cum Patre meo.*

8. Dico secundo: Christus Dominus meruit exaltationem nominis sui. Ita D. Thomas hic, qui sub hac exaltatione comprehendit omnia quæ ad externam gloriam (quæ est clara cum laude notitia) pertinent. Quæ probatur, præter citata testimonia, ex illa oratione Christi. Joan. 17: *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam, et nunc clarifica me, tu Pater, etc.* Quæ oratio fuit efficacissima et meritoria; unde Augustinus, ibidem, tract. 104: *Humilitas, inquit, claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium; cui orationi similis est illa, Joan. 12: Anima mea turbata est, et quid dicam? Pater, clarifica me ex hac hora. Et venit vox de celo dicens: Et clarificavi, et iterum glorificabo.* Quæ oratio aperte ostendit Christum

non fuisse omnino sui oblitum, ut supra Calvinus dicebat, sed suam etiam gloriam apud Deum desiderasse, et petivisse eo modo et ordine quem charitas postulabat. Hoc etiam confirmat illud Apocalyp. 5: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere divinitatem*, id est, ut ab omnibus cognoscatur, et honoretur tanquam verus Deus. Testimonia etiam citata in principio sectionis præcedentis hanc conclusionem confirmant. Ratio denique est eadem, quia hic concurrunt omnia necessaria; et præterea hæc excellentia et exaltatio merito debebatur eximæ Christi humanitati.

9. Sequitur primo, meruisse Christum Dominum ea testimonia dignitatis et majestatis suæ, quæ illi data esse in Evangelio legimus, quale fuit testimonium Patris post baptismum, Matthæi 3; et post transfigurationem, seu in transfiguratione ipsa, Matth. 17. Et idem verisimile est de testimonio et laudibus Angelorum in die Nativitatis, et de manifestatione facta Magis per stellam, et similibus; quia, licet hæc omnia propter utilitatem nostram facta sint, tamen ad exaltationem et gloriam Christi pertinebant; utraque ergo de causa, scilicet nostra et sua, meritis illius debita fuerunt.

10. *Objectio. — Responsio. —* Secundo, sequitur meruisse Christum aliquo modo regnum et dominium in universum orbem; quia hoc etiam pertinet ad externam gloriam et manifestationem nominis illius; et indicatur ab Augustino, lib. de Unitate Eccles., c. 7 et 8, ubi varia congerit Scripturarum testimonia, quale est illud Psal. 2: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*; et illud Psalm. 21, ubi post narratam Christi passionem subditur: *Convertentur ad Dominum universi fines terræ*; et alia similia ponit præcipue ex Isai. et Psalmis. Est autem optimum illud ad Rom. 14: *Christus in hoc mortuus est, et resurrexit, ut vivorum et mortuorum dominetur*, quæ verba imitatus Cyrill., lib. 11 in Joan., c. 17, dicit: *Unum mori oportuit, sufficientem pro omnium vita redemptionem, ut vivorum et mortuorum imperium acciperet*. Sed contra, quia hoc dominium et regnum habuit Christus a principio conceptionis ex vi unionis. Propter hoc Soto, in 4, dist. 47, q. 1, art. 2, videtur negare hanc conclusionem, cum tamen affirmet meruisse dignitatem capitis, et eadem ratio de illa procedat; nam illam etiam habuit a principio conceptionis, imo hæc dignitas illam potestatem includit. Observandum

ergo est, si loquamur de titulo supremi regis et domini, qui est proprius Dei, et per communicationem idiomatum homini communicatur, verissime dicitur Christum non meruisse ut summo Dei imperio potiretur, neque ut esset caput Angelorum, eo modo quo est caput in quantum Deus. Hos enim majestatis titulos non magis mereri potuit quam incarnationem ipsam; conclusio ergo loquitur de dominio et regno quod in humanitate assumpsit, ut latius, q. 22, explicandum est. De quo ulterius est observandum, Christum a principio habuisse hoc dominium et regnum, quasi in radice et proprietate, et sic illud non meruit; et eodem modo habuit dignitatem capitis, quam similiter non meruit; caruit tamen veluti possessione et usu hujus domini et dignitatis, et hoc modo dicimus illud postea meruisse, quomodo dixit recte Bernar., lib. 3 de Consider., Christum merito redemptionis vendicasse sibi possessionem cæli et terræ, juxta illud Matt. ult.: *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra*. Tertio, sequitur meruisse Christum Dominum judicariam potestatem, ut recte docet S. Thomas infra, q. 59, art. 3, et confirmat ex illo Job 36: *Causa tua tanquam impii judicata est, causam judiciumque recipies*. Quæ verba de omnibus justis injusta patientibus intelligit Greg., lib. 26 Moral., c. 25; D. Thomas autem recte illa Christo accommodat, quia in illum principalis et quasi per antonomasiam conveniunt, quod etiam confirmat illud Joan. 5: *Dedit illi judicium facere, quia filius hominis est*, ut late tractat Augustinus, serm. ult. de Verbis Domini; et Vigilius, lib. 5 contra Eutychem. Sed de hac potestate in ultimis disputationibus sequentis tomi, fusius nobis dicendum est.

ARTICULUS IV.

Utrum Christus aliis mereri potuerit¹.

1. *Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Christus aliis mereri non potuerit. Dicitur enim Ezech. 18: Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Ergo pari ratione anima, quæ meretur, ipsa remunerabitur. Non ergo est possibile quod Christus aliis meruerit.*

¹ Infra, q. 48, art. 1, corp., et art. 6, et q. 49, art. 1, corp.; et 2, dist. 20, q. 2, art. 3, ad 3; et 3, dist. 18, art. 6; et Ver., q. 26, art. 6, ad 20, et q. 29, art. 7.

2. *Præterea, de plenitudine gratiæ Christi omnes accipiunt, ut dicitur Joan. 1. Sed alii homines habentes gratiam Christi, non possunt aliis mereri; dicitur enim Ezech. 14, quod si fuerint in civitate Noe, Daniel et Job, filiam et filiam non liberabunt; sed ipsi justitia sua liberabunt animas suas. Ergo nec Christus potuit aliquid nobis mereri.*

3. *Præterea, merces, quam quis meretur, debetur secundum justitiam, et non secundum gratiam, ut patet Rom. 4. Si ergo Christus meruit salutem nostram, sequitur quod salus nostra non sit ex gratia Dei, sed ex justitia; et quod injuste agat cum eis, quos non salvat, cum meritum Christi ad omnes se extendat.*

Sed contra est quod dicitur Rom. 5: Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sed demeritum Adæ derivatur ad condemnationem aliorum. Ergo multo magis meritum Christi ad alios derivatur.

Respondeo dicendum quod, sicut supra dictum est¹, in Christo non solum fuit gratia, sicut in quodam homine singulari, sed sicut in capite totius Ecclesiæ, cui omnes uniuntur, sicut capiti membra, ex quibus constituitur mystice una persona. Et exinde est quod meritum Christi se extendit ad alios, in quantum sunt membra ejus, sicut etiam in uno homine actio capitis aliquantulum pertinet ad omnia membra ejus; quia non solum sibi sentit, sed omnibus membris.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum singularis personæ non nocet nisi sibi ipsi; sed peccatum Adæ, qui constitutus est a Deo principium totius nature, ad alios per carnis propaginem derivatur. Et similiter meritum Christi, qui est a Deo constitutus caput omnium hominum, quantum ad gratiam, se extendit ad omnia ejus membra.

Ad secundum dicendum, quod alii de plenitudine Christi accipiunt, non quidem fontem gratiæ, sed quamdam particularem gratiam; et ideo non oportet quod alii homines possint aliis mereri, sicut Christus.

Ad tertium dicendum, quod sicut peccatum Adæ non derivatur ad alios nisi per carnalem generationem, ita meritum Christi non derivatur ad alios, nisi per generationem spirituales, quæ fit in baptismo, per quam homines Christo incorporantur, secundum illud ad Galat. 3: Omnes quotquot in Christo baptizati

¹ Quæst. 8.

estis, Christum induistis. Et hoc ipsum est gratiæ, quod homini conceditur regenerari in Christo: et sic salus hominis est ex gratia.

Etsi D. Thom. de sola potestate videatur inquirere, respondet tamen Christum Dominum aliis meruisse, in quos gratiam influit, sicut caput in membra. Et in littera D. Thom., quæ brevis est, nulla est difficultas, præterquam in solutione ad tertium, quam in sequenti disputatione latius tractabimus.

DISPUTATIO XLI,

In quatuor sectiones distribuata.

DE HIS QUÆ CHRISTUS DOMINUS HOMINIBUS MERUIT.

Quod Christus Dominus hominibus meruerit, non est quod in quæstionem vertamus, quia inter Catholicos de hac veritate controversia non est. Contra hæreticos vero Pelagianos, Petrum Abailar., et alios, satis multa dicta sunt supra, q. 1, art. 2; et in tota hac disputatione, ostendendo quid nobis meruerit, simul constabit hominibus meruisse. Quatuor ergo sunt de quibus hoc loco disputare possumus, scilicet de prima gratia et gloria, de dispositionibus et auxiliis quæ illam antecedunt, de merito et augmento quæ illam consequuntur usque ad gloriæ consecutionem, ac denique de tota hominum prædestinatione, de quibus sigillatim dicemus.

SECTIO I.

An Christus meruerit nobis primam gratiam, et gloriam, et remissionem peccatorum.

1. Multa sub hoc titulo comprehenduntur, quæ breviter expediri possunt, quia non sunt admodum controversa, ut an Christus meruerit hæc omnia hominibus qui illum subsecuti sunt, et an illis qui ipsum præcesserunt, et an primis hominibus in statu innocentiae, vel an simpliciter omnibus hominibus, vel tantum aliquibus.

2. Dico ergo primo: Christus omnibus hominibus sufficienter meruit remissionem peccati, tum originalis, tum etiam actualis. Est de fide, ad Rom. 5: *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, etc., multo magis gratia Dei, et donum, in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*; et infra: *Gratia autem ex multis delictis in justificationem*; et infra: *Multo magis abundantiam gratiæ donationis et justitiæ accipientes,*